GEORGII RAGUSEII
MORALIUM EPISTOLARUM
LIBER PRIMUS

Alberto Baduario, Joannis filio, Patritio Veneto.

Epistola I.

De humana felicitate

Recte sentis, Alberte Baduari Clarissime, nullam eruditionem esse, nisi illam, quae beatae vitae disciplinam iuvat: fuit haec Epicuri sententia, philosophi gravissimi, nec viris doctis omnibus plane perspecti. In evolvendis poetis tempus quandoque teritur, in quibus nulla solida utilitas, sed omnis puerilis delectatio est. In rerum item naturalium principiis et causis pervestigandis, quarum quidem contemplationis fructum, post multos assiduosque labores, nihil tandem aliud, quam opinionem dixeris. In separatis mentibus, caelorum motricibus, intelligendis, quas dum intenti suspicimus, a nobismet ipsis quodammodo abducimur et extra humanam conditionem constituimur. In astris denique dimetiendis aut eorum defluxibus, seu traiectionibus observandis, quae a falsis principiis orta, vera esse non possunt aut si vera essent, ut Cicero ait, nihil certe afferent, quo vel iucundius vel melius viveremus. Scire hominis maxime interest, qui felicitatem expetit, ad quam natus est, non quid in aliena domo, sed quid domi suae agatur: propterea morali philosophiae, quae medicina est animi quaeque ad beatam vitam actiones dirigit, sese penitus addicere debet. [...]

Quorum ego philosophorum sententiam probem haec tibi epistola paucis indicabit. Illud in primis considerandum est, cum de hominis felicitate disserimus, non eam nos animo concipere, quae illi absolute competit quaeque, ut Boetius ait, est status omnium bonorum aggregatione perfectus: hanc enim veram felicitatem soli theologi cognoverunt atque in perpetua Dei Optimi Maximi visione et, ut aiunt, fruitione consistere asseverarunt. Sed eam tantum, quae

Iz: E. Banić-Pajnić, M. Girardi Karšulin, M. Josipović, Magnum miraculum - homo (Veliko čudo - čovjek), Zagreb: Hrvatska sveučilišna naklada, 1995.

illi, in terris degenti, congruit quamque solis naturae viribus consequi potest. Insitus enim est rebus omnibus a natura genitis, appetitus quidam ad id, unde oblectationem maximam capiunt aliis quidem clarius aliis vero obscurius. Res graves, dummodo ne sint impeditae, suopte impetu centrum petunt, contra leves magnis itineribus in sublime feruntur. Sunt loca huiusmodi tanquam fines ultimi, quos inanimata haec corpora naturaliter expetunt non ulterius ad propriam quasi felicitatem quaerendam progressura. Manet stirpes immobiles et terrae affixae, ex qua succum ad vitam tuendam eliciunt totaqte earum felicitas est nutriri, augeri et sibi simile procreare. Animalia, quae sensu et motu praedita sunt, ex cibo et potu rebusque iucundis voluptatem capiunt; nec aliud tandem suis ipsorum operationibus, quam iucunda prosequi et molesta declinare, contendunt. Homo igitur, civile animal omnium nobilissimum ex duabus partibus, divina et mortali conflatum, ingenio praeditum, sermone ornatum, manibus instructum, finem aliquem habeat necesse est, in cuius adeptione propria eius felicitas posita sit. Non feriatur unquam sed contemplatur et agit, artes et scientias diligit, stimulos habet ad virtutem et gloriam nec sibi soli sed patriae, parentibus et amicis natus est. Magnam profecto ex rerum cognitione voluptatem capit, dum totius Universi rationem et ordinem contemplatur admirabiliumque effectuum latentes causas pervestigat. Sed haec in contemplatione posita felicitas nimis eum a sensibus distrahit et ab humana Societate disiungit. Communiorem felicitatem inquirimus, quae totum hominem compleat, qua homo est, quae naturalem eius appetitum expleat quamque ipse non contemplando quidem sed agendo, propriis viribus consequatur. Hanc mortales omnes expetunt et suas ad illam actiones dirigunt: interroga quenvis, nemo est, qui vel in hac mortali vita felix esse non cupiat. Quaeres autem, si solus homo felicitatis est capax atque ad illam propensionem habet, quid est, cur ex tot hominum caetu tam pauci felices reperiantur? Respondeo, quia pauci sunt, qui felicitatem agnoscant et paucissimi, qui philosophorum scholas adeant, ubi discitur, quid sit iucunde ac felicet vivere. Unusquisque inconsultis philosophis, suam sibi felicitatem constituit hic in voluptatibus, ille in divitiis, in dignitatibus alius, alius in sanitate, alius in pulchritudine et viribus; nec defuerunt, qui eandem in eo ipso affectu collocaverint, ad quem sunt natura proclives. Hos tamen omnes in iis ipsis felicitatibus frequenter audies dolere, conqueri, ingemiscere et suam sortem

deplorare. Quid ita? Quia felicitatem sensu et opinione aestimant non ratione quasi intemperantes et aegroti, qui, ciborum differentias iudicaturi, in consilium advocant non medicos sed palatum. Caeterum audire mihi videor te obiicientem, ne in ipsis quidem philosophorum scholis certam ullam felicitatis cognitionem expiscari nos posse, cum hac de re adeo inter se discordes sint, ut nondum satis definire liceat, utrum sententiae plures an capita fuerint. Si ipsissimam (quod Plautus ait) felicitatis naturam contemplari et ad calculos revocare voluerimus; in paucas certe et illas quidem, si Deo placet, inter se parum discrepantes, opiniones incidemus. Scito, nos quaerere nunc hominis felicitatem, quam ipse, non ut animal, sed ut homo expetit ac propterea Cyrenaicorum illa sententia, quorum princeps Aristippus fuit, statim reiicitur, qui summum hominis bonum in corporis voluptatibus consistere existimarunt. Quaerimus item hominis felicitatem, non talis hominis, hoc est felicitatem certam, stabilem et permanentem non lubricam et fluctuantem. Hinc falso statuerunt alii, summum hominis bonum sanitatem aut divitias esse, cum potius aegri aut pauperis dicere debuissent. Quanquam nec aeger nec pauper, postquam voti compotes facti sunt, felices statim censentur; cum facile contingere possit, ut hic pulchritudinem, honorem, dominatum, ille divitias appetat. Rursus humana felicitas, quae in hac vita quaeritur, eiusmodi esse debet, ut ab alio non pendeat; alioquin cum summa esset infelicitate coniuncta. Non ergo in honore posita est, utpote qui honoratis arbitrio adhibeatur et multo minus in iis bonis, quorum fortuna domina dicitur. Ad haec, felicitas non ad vulgi sed ad sapientum hominum stateram expendenda est. Reges enim, imperatores, pontifices aliique bonis exterioribus affluentes, felices vulgo putantur, qui tamen ut plurimum infelicissimi sunt. Felix est, ait Seneca, non qui aliis, sed qui sibi talis videtur. Felicitas denique, a nobis quaesita, non est fallax illa, atque fucata, sed vera et certa, quae nec fortunae temeritati subiicitur nec loci mutatione perditur, nec ullis temporum iniuriis aboletur. Immutabilis haec est et semper eadem, non nisi expulsa discedit, nunquam hominem deserit, nisi se deserat hominisque rationem obliviscatur. Constantem illum reddit firmum, aequabilem, ad omnia paratum, nullius rei indigentem et quasi Deum in terris habitantem. Nunc autem si, caeteris philosophis posthabitis, eos tantum consulamus, qui propius ad veritatem accesserunt, videlicet Epicureos, Stoicos, et Peripateticos in sola virtute hanc ipsam felicitatem positam esse inveniemus. Hoc tamen dis-

crimine, quod Stoici summum bonum et ultimum finem ipsammet virtutem dixerunt, Epicurei voluptatem ex virtute nascentem, Peripatetici operationem, a virtute directam. [...]

A Stoicis itaque censeo veram sententiam de hominis felicitate sumendam. Qui hisce plane verbis beatum illum hominem dicunt, cui nullum bonum malumque est nisi bonus malusque animus, honesti cultor virtute contentus; quem nec extollant fortuita nec frangant, qui nullum maius bonum eo, quod sibi ipsi dare potest noverit, cui voluptas sit voluptatum contemptio. Magnopere gauderem, si tibi quoque huiusmodi sententia placeret, quem videre mihi videor in Peripateticorum opinionem propensum. Nitar omni studio te ex Lyceo in porticum deducere: ratus, ubi hanc epistolam vacuo animo legeris, te viam illam facile approbaturum, non qua ad felicitatem itur sed qua eundam sit. An putas, Deum, huius mundi gubernatorem et dominum felicem esse? Quidni felix, cum ipsamet felicitas sit? Attende nunc eius felicitatem. Ipse sibi satis est nullius rei indiget, nihil appetit, nihil timet, rebus omnibus utitur, semetipso fruitur. Haec vera felicitas est non picta non fucata non personata, quinimmo felicitatis omnis regula atque mensura, adeo ut qui hisce conditionibus careat, felix esse non possit. Finge tibi hominem cuiuscunque status et ordinis, nisi depulsis iis quae nos aut irritant aut territant, perpetua animi tranquillitate ac libertate fruatur non est felix. Divitiis affluit sed pro illis augendis atque tuendis, dies noctesque torquetur. Non est felix, crustam solummodo et illam quidem satis tenacem felicitatis habet. Ad honores nullis praecedentibus meritis ascendit gaudetque aura populari. Non est felix, cessare ventus atque mutari facile potest. Rex est sed unius Regni tantum, alia quaerit et expetit. Non est felix, cum regnorum laboret inopia. Totus in voluptatibus est. Non est felix, quia semetipso caret. Quisnam igitur erit felix? Audi Senecam. Felix est, qui praesentibus qualiacunque fuerint contentus est, qui fortuita despicit, qui mirator tantum est sui. Huic nihil bonum nisi honestum, nihil malum nisi turpe, ad reliqua indifferens. Dives est, quia nihil ei deficit. Clarus, illustris, insignis quia multum meretur. Rex et Dominus, quia imperat sibi ipsi. Iucundus et hilaris, quia dolorem et molestiam ignorat iisque tantum gaudet, quae veram afferunt voluptatem. Quid quaeris? Deus est in humano corpore hospitans, hoc solo a Caelesti dissidens, quod hic

felix et beatus est natura ille vero, adeptione virtutis. Ergo in virtute posita est vera felicitas, haec sola ad bene beateque vivendum satis est: hanc nec locus ullus nec fortuna adimit quocunque uteris ubicunque fueris, te semper eadem comitatur. [...]

Neque igitur egestas neque aegritudo neque exilium neque carceres neque mors ipsa imminens, felicitatem eripere potest, dummodo mens quieta sit atque in tuto virtutis beneficio collocata. Sive agat sapiens sive non agat sive vigilet sive dormiat semper felix est, quia virtute munitus ab omnibus miseriis atque calamitatibus est immunis. Quicquid expetendum est, intra se continet nec illud amittere potest. Quae foris accidunt nihili aestimat, nihil curat, tanquam ad se minime pertinentia. Bonum illud censet, immo vero summum bonum: haec nec bona nec mala quidem. Hinc perpetuum gaudium, perpetua pax, perpetua tranquillitas, adversitatibus clausa est ianua. Quid ergo restat nisi ut cum Stoicis concludemus ad bene beateque vivendum, solam satis esse virtutem? Vale, Alberte clarissime, et humanam felicitatem, brevem illam quidem sed tamen quae ad aeternam tutum est iter, cura diligenter. [...] (ff. 1r-8r)

Ioanni Bellono, canonico Patavino moralisque philosophiae professori celeberrimo

Epistola VI.

Stoicorum de affectibus doctrinam nec Christianae religioni nec Sanctis Patribus adversari.

Scripsi ad Octavium Livellum, vir religiosissime ac eruditissime, Stoicorum de affectibus sententiam Peripateticorum opinione longe veriorem mihi videri, quippe qui, extra eos philosophiae cancellos minime egredientes, quos sibi ipsi circundederunt, interiores animi nostri motiones exquisitius explorarunt et artificiosius exprompserunt. Gaudeo pervenisse epistolam ad te quem ob praestantis-

simas virtutes singularemque doctrinam diligo, veneror, suspicio: doleo tamen, eandem ad synceri iudicii tui trutinam expensam non constitisse. Etenim cum Christiana pietate sanctisque Ecclesiae patribus longe magis consentire censes affectuum moderationem, a Peripateticis introductam, quam absolutam illam extinctionem, severe nimis et si Deo placet, crudeliter ab Scotis excogitatam. [...]

Nisi philosophorum sententias numerare potius, quam ponderare velimus earumque tantummodo corticem, non item medullam attingere, quemadmodum ii faciunt, qui alienis sumptibus studentes, nihil novi aliquando cudunt sed aliorum dicta libenter sequuntur; puto ea quae a Stoicis de animi affectibus tradita sunt, non eam acerbitatem prae se ferre quam Peripatetici censent, quinimmo eadem diligenter excussa nec Christianae religioni nec sanctorum patrum monimentis ullo pacto adversari. Agam tecum paucis, qui multa vel tacente me intelligis, ea tamen conditione, ut quicquid scripsero aequi bonique consulas; meque ut a te opinione disiunctum, ita amore et observantia maxime coniunctum existimes. Non te fugit, Stoicos philosophos viros fuisse haudquaquam vitiosos nec fucatos sed severos, incorruptos, synceros, integerrimos, ut religiosis nostri temporis hominibus et quidem arctioris ordinis aequiparari potuissent. Carebant ii lumine fidei incertique erant, utrum anima, post hominis obitum, desineret an transiret, propterea omne studium in hac vita recte ac feliciter traducenda collocabant. Nihil apud eos bonum erat nisi honestum, nihil malum nisi turpe, caetera indifferentia. Summum itaque eorum bonum virtus erat, summum malum vitium, hoc penitus abhorrebant, illa fruebantur, rebus caeteris qualescunque tandem fuerant, duntaxat utebantur. Sapiens, felix atque beatus ab eisdem vocabatur, qui huiusmodi vitam vivebat et iure quidem optimo, propterea quod nihil timebat, nihil cupiebat, nullius rei erat indigens, se ipso contentus. An eo quisquam sub caelo felicior excogitari poterat? Ab hoc Stoici, tanquam in portu collocato, affectus omnes alienos esse dicebant; cum ibi perturbatio esse non possit, ubi summa tranquillitas adest. Maiorem felicitatem non agnoverunt ideo hanc summam dixerunt, in summa autem felicitate vel Augustino teste, ut verus est amor et certum gaudium, ita timor, et dolor nullus. Hactenus nisi sunt mihi Stoici solo naturae lumine philosophantes, nihil nisi sanctum augustumque docuisse, cum eadem fere ad fluxam felicitatem desiderari putaverint, quae ad aeter-

nam exigi, sacri theologi statuerunt. Hinc fortasse factum est, ut cum Paulus Apostolus eorum mores optime cognovisset, similes habere in sua schola discipulos exoptarit, quenlibet ratus e Stoica disciplina ad Christianam religionem transire quam facillime posse, iuxta illud Peripateticorum dictum, in habentibus symbolum facilis est transitus. Doce Stoicum futuram vitam sine eum more suo vivere facque solum, ut quaecunque propter virtutem agit, agat propter Christum, quis eo erit in Christi schola eruditior? Is totus virtutibus addictus, peccata fugiet solumque Deum aestimabit. Si dives erit, potens honoribus et dignitatibus auctus, non exultabit; si pauper, imbecillis, abiectus, non moerebit. Si gemmas aut pecunias amiserit, quia illas commoda tantum, non etiam bona iudicat, non contristabitur. Si bene moratam uxorem vel facile patietur incommodum vel similem sperabit, se aut facere aut invenire posse. Si filium unum, gaudebit in aliis, si unicum, Deo gratias aget, quod illum habuerit. Si iniuriam accepit, non irascetur sed aut iustitiam aut clementiam adhibebit. Conviciis neminem aut execrationibus lacesset, aliena non concupiscet, in desperationem nunquam incidet. Exilia, carceres, morbos, immo etiam mortem ipsam aequo animo feret. Nihil timebit, benigne faciet indigentibus ac denique absque ullis animi perturbationibus ea praestabit, quae quilibet in Christi fide exercitati facere tenentur. Si forte autem in peccatum inciderit, toto vitae suae tempore lugebit atque moerebit, quod virtutem aliquando relinquerit atque a summo bono, hoc est a Deo Optimo Maximo desciverit. Obsecro, quid nam detrimenti afferat Christianae religioni Stoicorum doctrina, cum eadem sint utriusque praecepta, licet in diversum finem tendentia? [...]

Flavio Quaerengo, canonico Patavino.

Epistola IX.

De Amicitia

Negas, Quaerenge, me tibi amicum esse posse, quia Stoicus sum. Negas igitur, quia homo sum, nihil enim apud me differunt Stoicum esse et hominem esse. [...]

Illud te scire velim Stoicos non homines tantum dici sed viros, quorum propria est gravitas, severitas, constantia, non muliebris temeritas atque mollities. Quis dubitat, extirpandam penitus amicitiam esse, si angores illa atque molestias secum ferat, quae hominis felicitatem perturbent? Virtutes igitur, ait Cicero, pari ratione tollentur, cum ipsae quoque curas aliquas et solicitudines afferant. Neque virtutes, quae bona sunt animi intima neque amicitia, quae condimentum est vitae civilis, cordato viro, si rem dispiciamus, ullam molestiam exhibent, excitant haec quidem animum et exercent, turbant vero nequaquam. [...]

An putas Stoicos virtutis atque adeo felicitatis maxime cupidos tam excordes esse, ut amicitiam renuant, rerum omnium suavissimam, optimam vitae supellectilem, praeclarissimum Dei munus, cunctis hominum generibus congruentem et maxime cum virtute coniunctam? Non audeo illam cum Cicerone mundi solem appellare nec eam homini cum Plutarcho magis necessariam quam ignem et aquam asserere, aio tamen humanae felicitatis ornamentum pulcherrimum esse, virtutes ea ipsa splendidiores quodammodo reddi omnemque nostram actionem extrinsecus perfici et validissime roborari. Honor, gloria, aedificium, vestitus, corporis cultus et inania complura delectant nos; animus autem, virtute praeditus, qui et amare et vicissim amari possit, non delectabit? Quantum bonum, ait Seneca, ubi sunt praeparata pectora, in quae tuto secretum omne descendat, quorum conscientiam minus quam tuam timeas, quorum sermo solicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet? Res alias, ut praetiosa vasa, vestes egregias, insignes equos, saepe quaerimus cui paremus, amicos nobis-

met ipsis paramus, quibus arbitratu nostro et utimur et fruimur. Tu autem obsignatis tabellis cum Stoicis agere atque ab eorum scholis amicitiam expellere mihi videris. Quid enim sapiens amicis indiget, inquis, si se ipso contentus est? Cave ne sit error in verbo. Si ad Stoicis accesseris, respondebunt nec amicis nec alia re ulla indigere sapientem, iis tamen ipsis et rebus aliis multis illi opus esse non ad beate quidem vivendum sed ad vivendum. Se ipso igitur contentus est sapiens non ut velit esse sine amico sed ut possit. Vult autem amicum habere, si ob nihil aliud, saltem ut exerceat amicitiam et felicitatem, qua gaudet, manifestiorem reddat. Ex his, quasi prolusionibus, elicere iam perspicite potes, amicitiam et a Stoicis et a philosophis omnibus tanquam praeclarum quiddam haberi, quod maximam humanae vitae utilitatem, iucunditatem et dignitatem afferat. Nunc autem paulo proprius ad eius contemplationem accedamus primoque ne de re ambigua disputatio instituatur, genus eius tam remotum quam proximum expiscemur. De remoto nemini dubium, quin qualitas sit. De proximo ob res varias, quas intra se amicitia complectitur lis aliqua est. Nonnulli enim affectionem alii habitum illam dixerunt. Hi autem dissident inter se, nam aliqui moralem virtutem, a caeteris distinctam, ipsam existimarunt, quatenus in amando mediocritatem illam conservat, quae omnibus virtutibus est communis, aliqui vero ad unam aliquam ex moralibus virtutibus revocarunt. Sed et inter hos dissidium, cum hanc ipsam virtutem liberalitatem quidam, comitatem alii alii iustitiam esse crediderint. Aristoteles hac in re varius fuit, nonnumquam enim amicitiam inter affectus, aliquando vero inter habitus collocasse visus est tandemque ipsam aut virtutem esse aut non sine virtute conclusit. Si nos amicitiam dixerimus affectionem esse, virtutis habitu indutam, cum virtute educatam et iustitiae praesertim semper affixam, ne latum quidem unguem ab Aristotele discesisse videbimur. Ut enim moralis virtus prudentia non est sed absque prudentia nunquam, ita amicitia virtus non est sed cum virtute semper. Sed quid est amicitia, si non est virtus? Hesiodus vocavit illam similium consensionem. [...]

Aristoteles benevolentiam mutuam non latentem propter id ipsum, quod amabile est. Hanc puto veram amicitiae definitionem esse, quippe quae conditiones praecipuas, ad definitionem requisitas, optime complectatur. Benevolentia, tanquam commune quid-

dam, pro genere ponitur, omnis enim amicitia benevolentia est, non item contra. Additur mutua, quia sine reciproco amore amicitia non est. Inanimata nanque diligimus, cum quibus tamen amicitiam non contrahimus, quia redamare non possunt. Hinc elice, amare et amicum esse longe differre. Non satis est autem benevolentia mutua ad amicitiam contrahendam, sed praeterea necesse est, ut haec benevolentia utrique eorum, qui sese mutuo diligunt, perspicua manifestaque sit. Namque benevolentia mutua inter eos, qui se se nunquam viderunt, contigere potest, qui tamen nullo inter se amicitiae vinculo sunt coniuncti. Adest tandem cum amoris, tum amicitiae finis, videlicet ipsum amabile, quod in honestum, iucundum et utile distinguitur et bonum vel simpliciter vel secundum similitudinem appellatur. Porro ut amabile triplex est, ita triplicem amicitiam constituit honestam, iucundam et utilem. Honesta bonum respicit eius qui amatur, iucunda et utilis delectationem et fructum amantis. [...]

Hisce tribus amicitiae speciebus una eademque ratio communis est, quae tamen longe perfectiore modo de honesta, quam de caeteris dicitur; si quidem honesta vere et proprie amicitia est, reliquae vero secundum similitudinem tantum. Quicquid boni in iucunda et utili amicitia reperitur, id omne in se se continet honesta. Nam et delectatio adest sum̃a quam qui se studiose diligunt, ex propriis virtutibus vicissim accipiunt et utilitas maxima cum huius generis amicis omnia communia sint. Hinc fit, ut haec sola amicitia stabilis permanensque dicatur, quia fundamentum eius est virtus, quae in dies crescit et robur acquirit aliae vero duae amicitiae occasione deficiente, nimirum voluptate atque utilitate, cito pereunt et facillime dissolvuntur. Caeterum ut amicitia honesta reliquis praestantior, ita etiam rarior est non enim tam cito gignitur sed temporis diuturnitate longaque consuetudine comparatur. Amicitiam praecedat amor necesse est, hunc autem amabile: quod nisi iis qui sese diligere incipiunt, plane perspectum fuerit nec solidum amorem nec veram amicitiam unquam pariet. [...]

Caeterum cum amicitia sine virtute nullo pacto consistere queat, qua certe nihil amabilius est nihilque quod magis homines ad diligendum alliciat; necessaria quadam consecutione sequi videtur, ut ipsa non nisi inter bonos reperiri possit. Boni autem vocantur ii, qui,

quantum homines possunt, naturam ducem sequuntur, qui ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, aequitas, liberalitas, comitas, qui denique amicitiam expetendam putant non spe mercedis adducti sed quod eius omnis fructus in ipso amore inest. [...]

Sed non ne etiam inter veros amicos querelae interdum oriuntur, ob quas benevolentia primum minuitur ac demum amicitia dissolvitur? Oriuntur quidem non tamen aeque in quacunque amicitia. In utili frequenter, ob lucri aviditatem. In iucunda raro, cum integrum cuique sit, iis familiariter non uti, a quibus nullam oblectationem accipit. In honesta nunquam, quia ibi omnis actio et secundum virtutem. Querelae autem omnino vitabuntur, si, ut Aristoteles docet, amici animus diligenter considerabitur. [...]

Amicus verus nec criminibus inferendis delectari debet nec credere illatis, non debet novum amicum ita diligere, ut veterem negligat: debet tandem honeste diligere ac omnem suspicionem et fraudem a sese penitus abiicere. His servatis conditionibus, perpetuae erunt amicitiae, quas ne mors quidem dissolvet, qui enim amicum ita diligit etiam si mortuus fuerit, diliget illum, quia virtutem dilexit, quae extingui nullo modo potest. [...] (ff. 37r–44r)

(Ragusei Georgii *Epistolae morales, dialecticae et mathematicae,* British Library ADD. Ms. 10810)